

res in maiori aetate maiores <sup>4</sup>». Exinde etiam perspicitur, quomodo organorum perturbatio exercitium intellectus perturbet: « Debilitatur intellectus ex laesione alicuius organi corporalis *indirecte*, in quantum ad eius operationem requiritur operatio sensus habentis organum <sup>2</sup> ». Ob eandem rationem a causis, quae in corpus agunt, intelligentiae evolutio pendere dicenda est. Haec omnia ita s. Thomas paucis complectitur: « Cum anima sit forma corporis, consequens est, quod unum sit esse animae, et corporis; et ideo, corpore perturbato per aliquam corpoream passionem, necesse est quod anima per accidens perturbetur, scilicet quantum ad esse, quod habet in corpore <sup>3</sup> ».

ART. V. *Lockii error ex iam ostensis refellitur*

150. Lockius etsi animam simplicem esse fassus sit, tamen ea permotus ratione, quod non omnes materiae proprietates perspectas habemus, in dubium revocavit, utrum, necne cogitandi vis inter proprietates materiae, quae nobis compertae non sunt, revera sit, aut saltem divinitus esse possit <sup>4</sup>, Lockii dubitatio a Woltairio <sup>5</sup>, aliisque maximo plausu excepta fuit.

151. Prop. *Dubitatio Lockii futilis est.*

*Probat.* Ut certo asserere possimus aliquod attributum substantiae cuiquam repugnare, non requiritur ut omnia huius attributa perspecta nobis sint, sed sufficit, ut aliquod unum in ea certo dignoscamus, quod cum dato attributo evidenter pugnat; nam una, eademque substantia constare nequit ex attributis, quae se mutuo destruunt. Ita, etsi geometrae nondum omnes circuli proprietates calleant, tamen pro re certa explorata habent, quadraturam inter eius proprietates nondum cognitatas minime contineri, quippe illa rotunditatis proprietati in circulo iam perspectae evidenter opponitur. Atqui cogitatio cum notis proprietatibus materiae, nempe extensione, divisibilitate, soliditate, figura, inertia, adversa fronte pugnat; quae autem secum pugnant, Divina Omnipotentia non continentur. Ergo vis cogitandi nec divinitus materiae convenire potest.

152. Iam cogitationem cum illis materiae proprietatibus pu-

<sup>1</sup> *Op. cit.*, c. 22. — <sup>2</sup> *In lib. II De Anim.*, lect. VII.

<sup>3</sup> III, q. XV, a. 4 c. — <sup>4</sup> *Op. cit.*, lib. IV, c. 3, § 6.

<sup>5</sup> *Élém. de la phil. de Newton*, part. I, c. 6.

gnare compertum cuique est. Sane 1° pugnat cogitatio cum extensione, et divisibilitate; nam, quemadmodum salis, superque a nobis ostensum est, cogitatio est quidquam unicum, et indivisibile. 2° Pugnat cum soliditate; neque enim integrum obiectum cum omnibus eius partibus percipi a nobis posset, nisi species singularum partium in unam confluerent; neque in iudiciis et ratiocinationibus plures notiones secum comparari posset, nisi illae in unum compenetrarentur. Accedit quod cogitatio seipsam reflexione permeat, et insuper duo subiecta percipientia possunt se invicem comprehendere: si vero essent solida, unum non posset alterum penetrare, ideoque unum non comprehenderet alterum, comprehensio enim rei habetur, cum ipsa tota cognoscitur <sup>4</sup>. 3° Pugnat cum inertia, materia enim, utpote iners, ab extrinseca causa determinatur; unde consequitur lex illa Newtoni, mutationem motus *proportionalem esse vi motrici impressae, et fieri secundum lineam rectam, qua vis illa imprimitur*. At nos de multis rebus cogitamus, quin ulla actione externa agitemur, atque insuper seriem unius demonstrationis interrumpimus, aliamque prorsus diversam aggredimur, ac praeterea ab imaginatione ad intellectionem, atque ab hac ad illam rursus pro lubitu transimus. Pugnat denique cum figura; quod enim est figura praeditum, habet terminum, cum figura sit quae terminis continetur: at potentia cogitandi est quodammodo infinita; « in infinitum enim intelligit species numerorum augendo; et similiter species figurarum, et proportionum: cognoscit etiam universale, quod est virtute infinitum secundum suum ambitum, continet enim individua, quae sunt potentia infinita <sup>2</sup> ».

153. Itaque cogitatio praecipuis, et valde notis materiae proprietatibus adversatur; quapropter si materia posset cogitare, ex proprietatibus secum pugnantibus constaret.

ART. VI. *De animae humanae spiritualitate*

154. Animam humanam non esse aliquid extensum; sed in una

<sup>4</sup> « Impossible est duo corpora se invicem continere, cum continens excedat contentum. Duo autem intellectus se invicem continent, et comprehendunt, dum unus alium intelligit »; *Contr. Gent.*, lib. II, c. 49.

<sup>2</sup> *Ibid.*



simplici, et indivisibili realitate consistere contra omnes materialistarum classes demonstravimus. At aliquid nobilius ipsi est tribuendum; etsi enim corpus informet, tamen huiusmodi est, ut a corpore haud pendeat; unde non solum simplex, sed etiam *spiritualis* appellatur.

155. Prop. *Anima humana est spiritualis.*

*Probatur.* Operationes propriae animae humanae, eae nempe, quae ad intellectum, et ad voluntatem spectant, sine organis corporis exercentur; ac proinde a materia non pendent. Atqui *similiter unumquodque habet esse, et operationem.* Ergo esse animae humanae huiusmodi est, ut a materia non pendeat, ac proinde ipsa *spiritualis* dicenda est.

156. Ad maioris veritatem perspicendam satis est mente recolere ea quae in *Dynamilogia* statuimus. Sane operationes cognitrices, quae corporeis organis indigent, ad aliquod genus rerum materialium percipiendum determinantur: neque aliud, nisi quod materiale est, atque prout conditionibus materialibus adstringitur, apprehendere possunt; unde obiectum illarum proprium non nisi singulare esse potest: super seipsas denique converti nequeunt<sup>1</sup>. Atqui operationes intellectrices circa quodlibet rerum materialium genus versari possunt, easque *cognitione immateriali, universali, et necessaria* attingunt<sup>2</sup>; tum super seipsas reflectuntur<sup>3</sup>; atque ad ea se porrigunt, quae rerum materialium ordinem transiliunt<sup>4</sup>; intellectusque in eorum contemplatione quam maxime delectatur<sup>5</sup>; atque, secus ac facultas organica, quae quoties ab obiecto sensili vehementer impellitur, ad aliud eiusdem generis obiectum sentiendum inepta evadit, ipse ex obiecto valde intelligibili ad intelligendum obiecta minus intelligibilia validior fit<sup>6</sup>. Ergo operationes intellectrices

<sup>1</sup> Cf *Dynam.*, c. IV, art. 12, p. 156-157, vol. I.

<sup>2</sup> I, q. LXXXIV, a. 1 ad 4; Cf *Dynam.*, loc. cit. et art. 3, p. 132.

<sup>3</sup> Cf *ibid.*, p. 137.

<sup>4</sup> *Ibid.*, p. 156. Hinc Lactantius aiebat: « Nullum est animal, praeter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei. Solus enim sapientia instructus est, ut religionem solus intelligat; et haec est hominis, atque brutorum vel praecipua, vel sola distantia »; *De ira Dei*, c. 7.

<sup>5</sup> Cf s. Aug., *De lib. arb.*, lib. II, c. 13, n. 36.

<sup>6</sup> Cf s. Bonav., *In lib. I Sent.*, Dist. I, art. 3, q. 1 ad arg., et Alb. M., *De Anim.*, lib. III, tract. II, c. 15.

supra corporeum omnem ambitum sic evehuntur, ut materiae determinationes omnino transcendant, ac proinde a materia non pendent.

157. Idem de actibus voluntatis est dicendum. Etenim voluntas bonum intellectivum, nempe incorporeum appetit<sup>1</sup>; neque ad hoc, vel ad illud bonum determinatur, sed in quodcumque obiectum, in quo ratio boni deprehenditur, libere ferri potest<sup>2</sup>; super suos ipsos actus reflectitur, quia « vult se velle, et diligit se diligere<sup>3</sup> »; denique corpus sibi subdit, illisque cupiditatibus, quae ab appetitu sensitivo proficiscuntur, adversatur.

158. Obiic. Anima nihil potest intelligere sine ope sensuum, qui per organa corporea exercentur. Ergo in ipsa operatione intellectiva ab organis corporis pendet, ac proinde non est spiritualis.

159. Resp. *Dist. ant.*, quatenus sensus ad actionem intellectricem intrinsece concurrunt, *neg. ant.*, quatenus sensus praebent intellectui phantasma, in quod ipse suam actionem, quin a sensibus pendeat, exerit, *conc. ant. Neg. cons.* Responzionem istam, quae ex theoriis in *Dynamilogia* statutis satis superque declaratur, Aquinas noster his verbis tradidit: « Dicendum, quod corpus requiritur ad actionem intellectus, non sicut organum, quo talis actio exerceatur, sed ratione obiecti; phantasma enim comparatur ad intellectum, sicut color ad visum<sup>4</sup> ». Et alibi: « Intelligere est propria operatio animae, et non egreditur ab anima mediante organo corporali, sicut visio mediante oculo. Communicat tamen in ea operatione corpus ex parte obiecti; nam phantasmata sine organis corporeis esse non possunt<sup>5</sup> ».

#### ART. VII. Refutatur phrenologismus

160. Ut quid hoc systema sit, facilius explicemus, illud in primis memoramus, a diligentioribus, et peritis naturae scrutato-

<sup>1</sup> Cf *Dyn.*, c. V, art. 3, p. 161-162, vol. I.

<sup>2</sup> Cf *Dyn.*, *ibid.*, art. 8, p. 170 sqq.

<sup>3</sup> *In lib. I Sent.*, Dist. XVII, q. I, a. 6 ad 4. « Noli ergo mirari, inquit ad hanc rem s. Augustinus, si ceteris per liberam voluntatem utimur, etiam ipsa libera voluntate per eam ipsam uti nos posse; ut quodammodo se ipsa utatur voluntas, quae utitur ceteris, sicut se ipsam cognoscit ratio, quae cognoscit et cetera »; *De lib. arb.*, lib. II, c. 19, n. 51.

<sup>4</sup> I, q. LXXV, a. 2 ad 3.

<sup>5</sup> *Qq. disp.*, q. un. *De Anim.*, a. 1 ad 11.



ribus, propter intimum nexum, qui inter animam, et corpus intercedit, ex huius conformatione, et habitudine nonnulla non quidem certa, sed probabilia indicia de illius interiori statu perspecta fuisse. Exinde ortum habuit *physiognomia*. Quae inter veteres habuit cultores Empedoclem, Platonem, Aristotelem, Galenum, aliosque; medio aevo prae ceteris Avicennam, et Albertum Magnum; in recenti aetate magnopere adaucta fuit a nostro Ioanne Baptista Porta, Lavater, Camper, aliisque pluribus.

161. At, ineunte hoc saeculo, Gall, eiusque discipulus Spurzheim usque adeo processerunt, ut systema phrenologicum, seu *cranioscopiam* invexerint, haec praecipue statuente: 1° Cerebrum non est unicum organum, sed ex multis organis inter sese distinctis constat. 2° Haec organa, prout magis, minusve explicantur, et evolvuntur, maiores, aut minores circumvolutiones in cerebro, totidemque in calvaria protuberantias istis circumvolutionibus respondentes efficiunt. 3° Singula haec organa, ideoque singulae calvariae protuberantiae sunt primitivarum animi facultatum sedes, imo ipsae facultates organorum nomine appellari possunt. 4° Nomine facultatum primitivarum non veniunt illae, quae a Psychologis vulgo recensentur, nempe facultas sentiendi, imaginandi, voluntas, et aliae huiusmodi, sed potius naturales propensiones, quas quisque sortitur, uti propensio in poesim, in amicitiam, in mathematicam. Unde Phrenologi in cerebro distinguunt organum matheseos, amicitiae, iracundiae, homicidii etc. Facultates vero a Metaphysicis recensitae non sunt, nisi secundariae, sive subiectae facultatibus primitivis, harumque veluti attributa generalia. 5° Hae facultates secundariae tot vicibus in eodem homine repetitae inveniuntur, quot facultatibus primitivis iste pollet. Iamvero non omnia organa, ideoque non omnes facultates ipsis propriae in singulis hominibus extant, neque organa, quae in eis extant, eodem modo explicantur, et evolvuntur; proindeque neque aequalis est protuberantiarum numerus in singulis calvariis, neque quaelibet protuberantia eiusdem est magnitudinis. Hinc fit, ut si quis noverit, in quibus calvariae protuberantiis singulae facultates locum occupent, is posset ex calvariae observatione singulorum hominum ingenia, et propensiones facile investigare. Namque dubitari nequit, quin quilibet homo illas propensiones habeat, quae protuberantiis in calva extantibus respondent, eaeque pro-

pensiones, prout protuberantiae magis minusve pateant, vehementiores, aut debiliores sint. Hoc systema *phrenologia*, aut *cranioscopia* dici solet; quarum vocum prima illi convenit, quia animi facultates investigat; altera, quia has per quasdam calvariae inspectionem dignoscendi regulas tradit. Gallio, et Spurzheimio multos adhaesisse constat, ex quibus, licet nonnulli animum a cerebro distinguant, tamen non pauci, uti uterque Broussais, pater, et filius, nihil praeter organa in cerebro admittunt.

162. Prop. *Phrenologiae systema exploratissimis anatomiae observationibus, atque praecipuis psychologiae decretis adversatur.*

*Probatur prima pars.* Inter prominentias cranii, et circumvolutiones cerebri, quae, secundum Phrenologos, organorum sedes sunt, consensus, quem ipsi comminiscuntur, minime existit; siquidem externa superficies cranii non eandem, ac superficies cerebri, formam exhibet. Neque existere posse videtur. Namque 1° cerebrum a thecis osseis cranii, in quibus includitur, seiunctum est tribus *meningis*, sive membranis, quibus, veluti involucris, obtegitur, atque inter has, et thecas osseas humor cerebro-spinalis interfluit. 2° Circumvolutiones, sive prominentiae, quae, tamquam quidam gibbi, in externa cerebri facie spectabiles sunt, ut ipse Gallius in suis operibus anatomicis probavit, non sunt organa, sed formae externae organorum, quae in interiori cerebro latent, quaeque late expandi possunt, quin sensu percipiuntur, multumque variare, quin functiones cessent, aut turbentur. 3° Innumeris Physiologorum experimentis comperitum est laesionibus cerebri, quae in pathologia numerantur, numquam, aut vix umquam unam circumvolutionem cerebri affici, nec laesionibus circumvolutionum facultates, quae ipsis respondere dicuntur, constanter perturbari.

163. Accedit, quod etiamsi ille consensus existeret, certe a nobis adamussim cognosci non posset; siquidem circumvolutiones cerebri, quas prominentiis cranii respondere perhibetur, non nisi post mortem, proindeque, postquam cerebrum iam detectum est, observare nobis licet; nec circumvolutionum maior, vel minor evolutio perspicui posset, nisi ipsae circumvolutiones ad fixam, accuratamque mensuram exigenterentur, quam anatome assequi nequit.

164. Haec omnia ex ipsorum Phrenologorum placitis, atque ex-



perimentis mirifice confirmantur. Enimvero Phrenologi in numero, et natura organorum, et facultatum assignandis minime consentiunt; siquidem Gallius viginti septem, Spurzheimius trigintaquinque, alique alium organorum numerum detexisse asserunt, ipsasque facultates, quas organis assignant, alii aliter explicant. Porro quam infeliciter organorum descriptio eis successerit, illud satis, superque demonstrat, quod organum *theosophiae*, a Gallio, aliisque cum eo in calva hominum assignatum, etiam in capite arietum, et pecorum detectum sit. Quamobrem iure optimo ab Debreyne scripta phrenologia ex ipsorum Phrenologorum placitis scientiam dici non posse, quia ipsi Phrenologi in eius principiis statuendis haud consentiunt. Praeterea Phrenologos in suis divinationibus deceptos fuisse inter omnes constat. Ut pauca exempla afferamus, in calva celeberrimi Laplacei ab eis organum stupiditatis detectum fuit, neque in calva homicidae Fieschii organum *destructivitatis*, aut in calva Lecenuirei, famosi latronis, organum furti, sed organa benevolentiae, theosophiae, aliaque illis vitiis adversantia inventa sunt <sup>1</sup>.

165. *Probat*ur altera pars. 1° Absurdum est inter facultates animae *primitivas* illas recensere, quae in singulis hominibus non inveniuntur, et contra, facultates omnibus hominibus communes, tamquam facultatum specialium proprietates, spectare. 2° Absurdius etiam est rationem, et voluntatem e facultatum numero extrudere, cum ipsae ceteris omnibus facultatibus praestent. 3° Si unaquaeque facultas primitiva propriam sibi percipiendi, reminiscendi, ratiocinandi facultates habet, tunc illud valde abnorme consequitur, hominem, qui, exempli loco, viginti facultatibus praeditus est, viginti habere facultates percipiendi, reminiscendi, ratiocinandi. 4° Quin dicamus de iis Phrenologis, qui cerebri circumvolutiones non pro instrumentis, sed pro facultatum principiis habuerunt, ac proinde in Materialistarum castra commigrarunt, certe in Phrenologismo spiritualitas, et libertas animae pessumdantur. Et sane, quoniam facultates or-

<sup>1</sup> Cf de hac re Debreyne, *Pensées d'un croyant catholique*, ed. 3<sup>e</sup>, p. 201-203, Paris 1844; Forichon, *Le matérialisme et la phrénologie combattus dans ses fondements*, Paris 1840; Flourens, *Examen de la phrénologie*, ed. 3<sup>e</sup>, atque inter germanos, Friedreich, *Arch. psychol.* (germ.), p. 131-194, Heidelbergae 1814, et Reichlin-Meldegge, *Psych. hominis* (germ.), sect. I, p. 358, Heidel. 1837.

ganicae animae natura sua sentientes sunt, ex phrenologiae principiis necessario fluit intellectum, et voluntatem esse facultates sentientes animae, ideoque animam, etiam prout est principium illarum, esse sentientem. Atqui principium, quod non est aliud, nisi sentiens, neque spirituale est, neque libertate arbitrii pollet. Ergo, si intellectus, et voluntas essent, uti Phrenologi contendunt, facultates organicae, anima humana nec spiritualis, nec libera foret <sup>1</sup>. Fatemur quidem Gallium <sup>2</sup>, Spurzheimium <sup>3</sup>, omnesque politiores Phrenologos animae spiritualitatem saepe propugnasse: sed id cum placitis sui systematis, in quo omnes animae facultates, tamquam organicae, statuuntur, pugnare nemo non videt. Et sane, si isti Phrenologi animam esse spiritualem tenent, fateantur oportet animae aliquid essentialia inesse, quo naturae corporeae antecellit, et quo a corpore minime pendet. Atqui actiones animae, ut saepe dictum est, naturae eius consentaneae esse debent. Ergo, si inest animae aliquid principium essentialia, quod naturam corporis supergreditur, etiam quoddam genus actionum ei convenire debet, quae sine ullo organo corporeo exercentur; ex quo intelligitur, praeter facultates organicas, etiam aliquas inorganicas ab anima fluere oportere, id quod ab his Phrenologis haud conceditur.

## CAPVT VIII.

### De animae humanae origine

#### ART. I. *Refutatur hypothesis de unitate primitiva animalis*

166. Iam in *Cosmologia* sententiam Robineti innuimus, qua diversae rerum species non aliud esse statuitur, nisi quosdam gradus, per quos natura ab unico principio, velut cunctarum re-

<sup>1</sup> Ex quo perspicis maximo in errore versari illos Lovanienses (cf Ubaghs, *Anthropol. philos.* Part. psych., c. V, § 382, et *Revue Cath.*, Ser. VI, vol. II, p. 243 sqq, an. 1859), aliosque permultos, qui Phrenologis concedunt phrenologiam spiritualitati, et libertati animae humanae ex eo non obesse, quod intellectum, et voluntatem pro facultatibus organicae animae statuit.

<sup>2</sup> *Anat. et physiol. du syst. nerveux*, vol. I, p. XXXIII, Paris 1808, et *Sur les fonctions du cerveau*, vol. I, p. 226, Paris 1822.

<sup>3</sup> *Observations sur la phrénologie*, p. 226, Paris 1832.